
ANTONII SANDERI
PRESBYTERI GANDAVENSIS
S. THEOL. LICENTIATI

LACRYMÆ
IN FVNERE
ALBERTI
AVSTRIACI
OPTIMI ET CLEMENTISS.
BELGARVM
PRINCIPIS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
M. DC. XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AC EXCELLENTISS.

PRINCIPI

AMBROSIO SPINVLAE

MARCHIONI SESTI ET VENAFRI

DVCI SANCTI SEVERINI

AVREI VELLERIS EQVITI

MAGNO AVLÆ BELGICÆ MAGISTRO

ET

SVPREMO MILITIÆ REGIÆ PRÆFECTO.

COMMVNEM Patrię luctum, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, & illapſos omnium animis Religioſiſſimo ARCHIDVCE ALBERTO exuuiis mortalibus exuto dolores, poſt fauſtas τῷ μακαρίτῃ adprecationes, fuſis priuatim lacrymis, & in publicam lucem datis, teſtatum venio. Eas

benignior, quæſo, EXCELLENTIÆ TVÆ ſinus excipiat; eodemque indubiè lacrymarum flumine madidus, ſacram PIISSIMO quondam PRINCIPI, pietatem hanc noſtram probet. Ambigere nemo poteſt, quin Tu, qui omnibus viuentem officiis, amore ſingulari, & incorruptâ fide proſecutus es, humanis iam rebus exemptum, præ reliquis amariore modo deploràris. Quòd ſi & noſtra Tibi placeat querimonia, ſolaberis luctuoſum, & inſpersâ velut frigidâ, intimis ardentem fibris amaritudinem animi mei mitigabis. Acerbum Belgicæ caſum nemo non lamentatur, & diuinis Sapien-
Eccli. 38. tis Hebræi vocibus obediunt omnes: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare.* Vel illi etiam, quos perduellionis reos appellare poſſumus, ingemiſcunt: quaſi non nobis ſolùm plurima, ſed eorum etiam rebus pariter aliqua deceſſiſſent. Et quis hominum, obſecro, tam vecordis animi, tam non ſenſibilis medullæ, cui non maximarum illarum, quæ in PRINCIPE noſtro viguerunt, virtutum recordatio

dolo-

dolores augeat? Summam prudentiam, inuictam animi fortitudinem, in diuturnâ corporis adflictione admirabilem, & homine Chriſtiano digniſſimam & planè Heroicam patientiam, ab iniquo murmure, ab aſperioribus obloquiis alienam, in aduerſis conſtantiam, mentis ſtatum, qualis eorum qui ſupra lunam ſunt ἐκτὸς ταραχᾶς, pietatem, munificentiam, pauperum amorem, intentam Reip. curam, indefeſſos pro communi bono labores, per vnum licentiæ fatalis ictum, eheu Belgæ perdidimus! & niſi paria nobis conſilia præſidiaque benignior concedat Deus, audebo dicere, periimus! Sed ea nobis, quæ & anteà ſæpè ſuperſtite marito perſenſimus, ab optimâ coniuge defuncti PRINCIPIS ISABELLA adfutura ſperamus. Audiat propitium Belgarum vota & feruidas preces NVMEN, & illam diuinis illuſtrem virtutibus HEROINAM longâ & incolumi vitâ tueatur;

Deq; meis aliquos illi Deus augeat annos.

Et Te quoque, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, eximium Europę ornamentum,

Reip. Belgicæ fulcrum, magnum Eccleſiæ Catholicæ patronum, & velut aliquem noſtrorum temporum Gedeonem, maioribus ſemper in Remp. Chriſtianam meritis florentem, hæreticis & aliis orthodoxæ Fidei hoſtibus formidabilem, atque ad non emorituram nominis Tui gloriam, victoriis clarum fortunatumque reddat. Scripſi Gandaui XVII. Iulij, M. DC. XXI.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Deuotiſſimus in CHRISTO *ſeruus*

Antonius Sanderus Presbyter.

ILLV-

Digitized by Google

ANTONII SANDERI
PRESBYTERI GANDAVENSIS
S. THEOL. LICENTIATI

LACRYMÆ
IN FVNERE

ALBERTI AVSTRIACI
OPTIMI ET CLEMENTISS.

BELGARVM PRINCIPIS.

MAGNE *Parens rerum, quo te, quo Belgica læſit*
Crimine? quod miſeris placidos auertere vultus
Impulit offenſum populis ſcelus? ánne ſeueram
Non ſat erat ſenſiſſe manum, cùm triſtibus olim
Exci-

Digitized by Google

Excita diſſidijs ſæui petulantia Belli,
Heu! varijs noſtras inuoluit cladibus oras?
Non ſat erat per tot rerum diſcrimina mœſtos
Tot numeraſſe dies, & pullo nubila luctu
Tempora funeſtas toties iteraſſe querelas?
Non ſat erat claras Mundi tot planctibus vrbes
Iam pridem Heſperij raptum doluiſſe PHILIPPI?
Nunc etiam: ſed vox imis penetralibus hærens
Obſtupet, & tacitis premitur ſingultibus ægri
Pectoris; optataque animum exonerare loquelâ,
Et lenire malum neſcit dolor, vdaque multa
Ora rigant lacrymæ. Quibus hanc incendimus iram,
O Superi, noxis? quæ tam nos verbere crudo
Excipit, & rigido Nemeſis diuina flagello?
Eheu Belgiaci poſt tot non commoda regni,
Nunc etiam diro Parcarum vulnere magnus
Occubuit Patriæ Pater, inclyta ſtirps ALBERTVS,
Præſidiumque mei occubuit ſpéſque vnica BelgI,
AVSTRIADVM columen, Regum decus, alma ſuorum
Gloria, delicium populi, virtutis & altæ
Et fuſi per cuncta Dei pulcherrima imago.
O duram Lacheſin! ô fati crimina! tantis
Parcere nominibus, quæ non violentia Mortæ
Percupiat? quæ non ſæuam emiſiſſe ſagittam

Hor-

Horreat atrarum licet impia turba ſororum?
Ite oculi in lacrymas, nec amaro abſiſtite fletu,
Omnibus in terris, de magno Principe quorum
Venit ad attonitam mæſtis rumoribus aurem.
Occubuit BelgI Dominus, ſi vera probatis,
Occubuit BelgI Pater optimus, ille bonorum
Certa ſalus, terrórque malis, ſolator egentum,
Pro pueris viduáque pius pro ſorte maritus.
Ite oculi in lacrymas; vaga toto nænia mundo
Queſtibus emeritis, & grato carmine ploret
Extinctum Patriæ crudeli morte Parentem.
Vos tamen ante alios inſtate doloribus ægris,
Cognita quos prono Diuûm clementia cælo,
Imperium terris dedit omnibus, & fauor alti
Numinis immenſum dedit æquâ lege per orbem
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos,
AVSTRIACI PROCERES, *dilectaq; nomina* CHRISTO,
Lugete amiſſum generoſæ ſtirpis honorem:
Auguſtam lugete domum, non ampliùs illo
Lumine, & egregiis ALBERTI *creſcere factis.*
Tu ſed enim ante alios, qui rerum culmine poſtus
Cæſareo & clarus titulo, trabeáque decorus,
Niteris antiquæ ſacra iura reducere Romæ,
FERNANDE *Auſonij luge diſpendia Regni.*

Vos etiam Arminij fortes de ſtirpe nepotes,
Quà vaſtis diffuſa iacet Germania campis,
Vos Alemanna phalanx, ô Martia pectora, magnũ
Deplorate Ducem. iacet illâ cuſpide læſus
Veſtræ gentis amor: veſtris fauor illius olim
Præcipuè adfulſit populis, atque omnibus illos
Scilicet officiis non parci Principis auctos
AVSTRIACVS *vario dotauit munere ſplendor.*
Et vos diuiſi toto licet orbe Britanni,
Et quos fecundis lauat errans Sequana ripis,
Italidéſque oræ, & fuluis Hiſpania arenis
Aurea, flete, pium Belgarum flete Dynaſtam;
Vobis damna etiam venerunt funere ab iſto.
At vos Belgiadum, iam non felicia dicam,
Agmina flete Patrem; iaculis immitibus illum
Abſtulit ante diem duræ inclementia Mortæ:
Ante diem meritò, quamuis veneranda ſenecta
Canities niueis albeſceret vſque capillis.
Læta etenim nondum iam tempora viderat, arcto
Fœdere diſcordes cùm poßet nectere gentes,
Et deplorati ſanaret vulnera ſæcli.
Multa quidem infauſtis deplangere Belgica fatis,
Et potuit iuſto quondam indulgere dolori:
At potiore modo, iam rapto Principe magno,

Digitized by Google

Debeat innumeris ſeſe turbare querelis.
Cauſſa datur: varias olim mirata tenebras,
Aſt aliquo ſeſe pandentem lumine ſolem
Belgica vidit adhuc, nec toti nubilus orbi
Horror erat, fuſcoq́ diem velarat amictu.
At nunc Belgiaci fuerat qui Phœbus Olympi,
Cuncta ſuis facibus hilarans & luce beatâ,
Occidit, & lætos inamœno funere vultus
Occulit æternùm; duraq́ à crimine Mortæ
Denſatur totum piceâ caligine cælum,
Et nox atra cauâ Belgas circumuolat vmbrâ,
Et pia ſollicitus ſic condit pectora luctus.
Omnibus æqua ſubeſt ratio, communia ſentit
Vulnera prætextus miſerâ cum plebe Senatus,
Cum populo generoſus eques: ſua damna per omnes
Ire hominum numeros miratur Belgica, & agro
Oppida cuncta grauem teſtantur murmure cladem.
Heu pietas, heu priſca fides, cum Principe magno,
Heu! incorrupti ſepelitur gloria Recti!
Omniáque hoc vno virtutum nomina buſto
Nexa iacent. Alios robuſto pectore fortes
Fama canit Reges, belli illos artibus, altos
Euehit ad Superos; hos larga munera dextra,
Hos pietas doctis conceſſit viuere chartis:

 Atque

Atque alijs alius titulis per ſera nepotum
Sæcula, venturis encomia ſumit ab annis:
Sic aliquo eminuit felix, potuítque beato
Diſtinctim gaudere bono; ſed Principe noſtro
Eſſe minor, varijs quem mactum laudibus, omnis
Poſteritas toto tollet ſuper æthera mundo:
In quo cuncta ſimul facto velut agmine veri
Lucebant exempla boni: cernebat in illo
Omnimodæ clarum pulchræ virtutis amorem
Et laudandarum quiuis compendia rerum.
At velut æthereis regionibus aurea Phœbe
Maiori rutilos premit ignes lumine; talis
Emicuit pietas ALBERTI *Principis, omni*
Laude prior, latéque vagum ſplendentibus orbem
Conſperſit radijs, atque omnibus ornamentis
Altior, humanæ vicit præconia famæ.
Relligio, & ſancti iugis reuerentia CHRISTI,
Caſta gemat Pietas: non illo Principe quiſquam
Maiores Superûm meritis impendit honores:
Cùm puris CHRISTVM *obſequijs, & perpete cultu*
Noctes atque dies ad ſacras cernuus aras,
Poſceret effuſis præſentia numina votis.
Caſta gemat Pietas: non illo Principe quiſquam
Sollicitus magis, ad pulchras vigilantia curas

Plena

Digitized by Google

Plena dedit pueris clauſtra innuptíſque puellis,
Ornauítque ædes Diuûm laquearibus aureis.
Lugeat auguſtus diſpendia rara Senatus,
Magnanimiq́; Duces, & bellis apta iuuentus:
Laude togæ clarum Heroa ac præſtantibus armis
Orba ſuo tutore gemat plebs, orba patrono.
Et vos agricolæ, durum genus, ite per altos
Denſorum nemorum lucos, atque auia mœſto
Implentes gemitu largos effundite fletus.
Non iam Mænalijs errans in montibus, imis
Aut mage ſectatus gratas in vallibus vmbras,
Ladonem ad riguum, aut gelidi pineta Lycæi,
Paſtor, eheu! dulces iterùm decantet amores.
Occubuit, qui rura pius felicia longùm
Fecerat, & noſtras pactis melioribus oras:
Otia bis ſenos dederat qui fauſta per annos;
Et ſi Parca pio capiti non ſæua fuiſſet,
Aſpera compoſitis molliſſet ſæcula bellis.
Pérque illum ſic proficuo veniſſet aratro
Maior honos, lætis viguiſſent arua colonis,
Libera iucundo luſiſſet fiſtula campo,
Libera tranquillo volitaſſent carbaſa ponto.
Sic meritò raptus miſeros lugemus, & omni
Conditione ſuum queritur Reſpublica damnum,

Séque dolet viduam, deſolatóq; relinqui
Pupillo ſimilem. qualis cùm carcere miſſi
Aeolio, medijs in fluctibus horrida miſcent
Prœlia, & imbriferi turbant vada cęrula venti,
Quaſſa ratis toto iactatur in ęquore, & altos
Imminet in ſcopulos: hanc fortè furentibus Euris
Deſeruit celſâ pulſus de puppe magiſter;
Illa notis tumidi per mille pericula ponti
Fertur, & inſanas nequit euitare procellas.
Talia nunc pauidos turbent pręſagia Belgas,
Si non conſilijs paribus Prudentia nitens
Coniugis EVGENIÆ, *ſperantum pectora firmet*
Belgiadum, & mœſtum iubeat procul eſſe timorem;
Si tamen id noſtra nolint auertere culpa,
Atque eadem diris cęli clementia noxis
Parcat adhuc, ſcelerumq; nouas non concitet iras.
Nil melius celſo datur ęthere, Principe iuſto:
Et nihil iratis in terram labitur aſtris
Deterius nocui crudâ aſperitate Tyranni.
Talis erat nobis diuino munere magnus
AVSTRIADES, *vt non totum quà reſpicit orbem*
Conſtantem iuſtumq; magis Phœbeia lampas
Cerneret, & placidum populis mitémque regendis.
Olli cura ingens in publica commoda, vt vni
Sancta

Sancta Deo puris fieret reuerentia ſacris,
Et Superûm ſemper caſti augerentur honores:
Olli cura ingens fidei pro dogmate ſano,
Vtq́; nouâ ſobole felix Eccleſia, victis
Hoſtibus, extremos tandem floreret ad Indos,
Vtq́; hominum & fatui peſtis teterrima ſæcli,
Nata Erebo, & cæcâ lethæi fluminis vndâ,
Abderet inferno nigrum caput hæreſis antro,
Sincerumq́; Dei ſeruaret gloria ritum.
Olli cura ingens prauos euertere mores,
Et puras vitij mentes, ſublimis honeſti
Et ſolidâ ſancti flammâ ſuccendere Recti.
Lenis at ille tamen, ſemperq́; benignus amœnæ
Largitor veniæ, quamuis de crimine magno
Poſceret emeritam Nemeſis iuſtiſsima pœnam.
Sic etiam ante alias rutilo diademate gemmas
Lucida mirantes oculos implebat, & alto
Addita fulgebat mitis clementia ſceptro.
Et ſi Marmaricum crudâ feritate leonem,
Hyrcanáſque tygres, & duri marmora ſaxi,
Impia Mattiacæ non vincant pectora terræ;
Feruentes animos Batauûm compeſcere, & illâ
Infeſtum lenire queas virtute VValachrum.
Magna Ducum rigidis pacem præponere telis

Glo-

Gloria, nec facilem terris inducere Martem:
Hoc magnū ALBERTI *ſtudium fuit, illa per omnem*
Cura diem totis inſedit & vnica fibris,
Vt tandem nocui poſito diſcrimine belli,
Aurea per totum remearent ſæcula mundum.
Sic dum gnara modis ALBERTI *induſtria miris*
Explicuit ſeſe, longos ſpectata per vſus,
Candida finitimos vinxit concordia Reges,
Et diris ceſſere odijs. pax optima rerum
Quas homini nouiſſe datum, pax vna triumphis
Innumeris melior; ſic pacis ſemper amico
Pectore, belligeram deteſtabatur Enyo.
Sic rerum euentus dubios, ſortémque peroſus
Ancipitem, ſæuis quæ ſunt contraria bellis,
Quamuis iuſta foret pugnandi cauſſa, probabat:
Et quamuis, duræ cùm tormina lenta podagræ
Et ſinerent apti ſtudijs pugnacibus anni,
Stringere neruoſo crudelia tela lacerto
Poſſet & horribilem ductor Mauortius enſem,
Primus & ire viam, & cuneos tentare minaces,
Auderétque ferum propellere cominus hoſtem;
Et nunc magnanimo ſub Principe Belgica Tellus,
Tantum ſtellifero poſſit caput abdere cælo,
Quantum Troia ſuo ſe prodidit Hectore claram,

Et

Digitized by Google

Et Danaus fortem quantum laudauit Achillem.
Sic obſtinatæ longam præſtantibus auſis
Fregit & Oſtendæ rabiem, fortéſque Caletos
Obſidione citâ, tectámque potentibus armis
Ardreſiam, validum frænauit victor & Hulſtum.
Sic etiam auſpicibus cælis, & numine Diuûm
Adſpirante æquis conatibus, hoſtica forti
Caſtra manu poterat diffuſis vertere turmis:
Si non ſæpè ſuis ſeſe merſiſſet in vndis,
Et pernice fugâ pauidas quæſiſſet in alto
Oceano latebras, ac iuſto Marte patentes
Liquiſſet campos & prælia dura VValachrus,
Littora Mattiaca ac vitaſſent noſtra carinæ.
Sic crebras etiam felix victoria palmas
Adtulit, & meritis velatum tempora ramis
ALBERTVM *toto clarauit buccina mundo.*
Omnia quæ memores animo dum voluimus, acer
Imis pectoribus gliſcit dolor, atque tot vnâ
Tot nece dona gemit miſeris decedere Belgis.
Has ſic mœſta vices, & acerbam Belgica ſortem
Luget, & attonitas implet vlulatibus oras;
Indolet & tantis turbato corde ruinis,
Non fatis ALBERTE *tuis, cùm reddita tandem*
Sit tibi morte tuâ vita melioris origo,

Digitized by Google

Et fortunati pandatur ianua cæli.
Non tibi, ſed dira Belgis nocuere ſagitta,
Et potiore modo veram, DVX INCLYTE, *vitam*
Sumis ab interitu; ſed nos crudelis amaro
Mors ferit, heu! iaculo, & pallẽtibus applicat vmbris.
Tu curis, varij tu mille doloribus aui
Liber abis: nos hîc veſanâ mole grauati
Curarum gemimus, neque laſſam ſoluere mentem
Fata ſinunt; ſempérque nouis rotat anxia turbis
Pectora, non veri perpes dementia ſæcli.
Tu pelago eximius, portum tenuiſſe beatum,
Noxia labilium vitans ludibria rerum,
Si qua manent cælo virtutum præmia, debes:
Triſte chaos liquiſſe etiam puróque fruiſci
Lumine, & æterni fructum decerpere Olympi,
Liber triſtitia, quam nec pretioſa regentum
Purpura, nec magni declinauere Tyranni,
Liber ab infidis mortalibus, atque doloſi
Figmentis animi, iam veros cernis amicos
Ad lætas Superûm choreas, atque agmina Diuûm,
Adq; ſalutiferi vectus conſortia CHRISTI.
Gratamur DVX MAGNE *tibi, pereuntis ab vmbrâ*
Lætitiæ ad ſolidam tua currere gaudia vitam,
Et te decidua captum non ampliùs aura

Appa-

Digitized by Google

Apparente bono, radiantes ire per orbes.
Hæc impolluta meruit præſtantia vitæ
Præmia Belgiaci moderator maxime regni;
His tua te pietas, his te ſincera beauit
Relligio, & patriæ ſtellantibus intulit aulæ
Indigetem ſpatiis; medio quà lucida cælo
Purpurat immenſum lampas Titania mundum:
AVSTRIACVM *meritò ſidus ſpectatur Olympo,*
Monſtrat & inſolitos ALBERTI *ſemita calles.*
Ecce Dionæis vicinos ignibus ignes,
Et noua flammigeræ mirantur lumina ſtellæ.
Atque ea ſunt noſtri quædam ſolamina luctus,
Inclyte DVX, *taléſque tibi gratamur honores.*
Hauſtibus æternis bibe nectar, & vſque ſolutis
Viue animis, mentemq́ piam ſaturare beato
Perge DEO; *ſat te regnorum pondera quondam*
Sollicitum tenuere PATER, *totiq́ vaciuum*
Europæ variis fecit ſolertia curis.
Nunc mundanarum de ſollicitudine rerum
Liber, diuinis manantem obtutibus hauri
Ambroſiam, & læto cæleſtia pocula ſucco,
Pocula quæ iugi ſcatebrâ ſedare calentem
Sola ſitim, miſeráſque valent depellere noxas.
At memor adflictos DVX *ô ne deſpice Belgas,*

Qui te ſupplicibus votis, & pectore anhelo,
Auguſtâ poſitum cæli ſtatione ſequuntur;
Quáque potes ratione tuis ſuccurrere terris,
Audi noſtrorum lenimen dulce malorum.
Pax veniat, pax arua colat, pax florida reddat
Oppida, pax dirum ferrato poſte Gradiuum
Claudat, & æquoreo ſecurus nauita ponto
Radat iter liquidum, numeriſq; celeumata lætis
Concinat ad tutum properans opulentia portum.
Inter oues ſaturas & amœno carmine paſtor
Tityrus innocuos iterùm moduletur amores,
Et nigras reſonare docens Amaryllida ſiluas,
Ad cantum teneri vocet æmula plectra bubulci.
Aſpice nos miſeróſq; iuua, PATER INCLYTE, *& illam*
Egregijs etiam virtutibus adſpice claram
EVGENIEN, *magnis nunc preſſā luctibus, in quam*
BelgI tota tui ſpes inclinata recumbit.
Aſpice fulmineâ vibrantem ſpicula dextrâ,
Conſiliiſque bonum, &, ſi lætam cernere pacem
Nondum Belga poteſt, bellis tutare gerendis
AMBROSIVM, *Ligurū decus immortale ſuorum:*
Magnanimum tutare Ducm; fortíque Latino
Scipiadíſque parem, niueis Victoria pennis
Ambiat, & multâ cingat felicia lauro

Tem-

Tempora, & aurato vehat ad Capitolia curru;
Et ſi non aliâ liceat virtute rebellem
Mattiaden Iuſto iam ſubdere, Gordia rumpat
Vincula, disiectáſque acies, domitúmq; VValachrum
In ſanctas cogat leges. Sic crimine victo,
Aurea pacatis naſcentur ſæcula Belgis.

APPROBATIO.

POEMA hoc continens iuſtas lacrymas Antonij Sanderi Presbyteri Gandauenſis, S.Theol. Licenciati, in funere ALBERTI Auſtriaci Sereniſſimi Principis, in lucem edi poterit ad teſtificationem communis Belgij luctus. Antuerpiæ hac XXI. Iulij M.DC.XXI.

Zegerus van Hontzum Canonicus
& Pœnitentiarius Antuerp.
necnon librorum Cenſor.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXI.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google